

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Clarissimo uiro, eruditione & uirtute praestáti, P.Ebero, amico & fratri suo
chariss.Philipp. Melanchthon S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Etum uirum, præferunt principes Ascanie in loco uicino Serueste. Quare ad uos mittitur, ut ueteri & diuinitus tradito ritu commēdetur ei ministerium Ecclesiasticum. Ut uictimis manus imponebantur: ita & Ecclesiæ ministri simili ritu uocantur, ut meminerint se esse uictimas. Simus igitur paratis animis ad ærumnas ferendas: & tamen speremus, cum diuinitus nobis impositæ sint manus, nos sustentari auxilio diuino, et regi manibus Dei. Reliqui in adibus tuis candelabrum & pixidem, quam usus in spargenda arena madentibus charis. Hec asserues nobis, aut huic Pancratio adferenda tradas. Bene & feliciter uale.

Asidebat hæc scribenti D. I. C. qui heri aduenit cum principe Georgio. Coniugem & familiam suam misit Arnstadium, ut inde mittat Norimbergam. Fortè enim Daschium inuenit Mersburgum, cui familiam adiunxit. Hodie dicitur huc uenturus Marchio Elector.

Nostræ filiolæ Catharinæ emito *Saxinæ* plantulas in myrpolio.

Clarissimo uiro, eruditione & uirtute præstati, P. Ebero, amico & fratri suo charis. Philipp. Melanchthon
S. D.

Sentio acriores dolores in hoc tristi spectaculo
partus

II, 149.

partus coniugis Erasmi: quàm sentiebam, cum nunciari mortem filie audirem, quæ mihi fuit charior uita mea. Nondum liberata est periculis Erasmi cõiunx. Et mulieres aiunt foetum in aluo extinctum esse: qui si eximi non potest, matri mors certa & atrox impendet. Deum æternũ patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut mitiget priuatas et publicas miseras. Non est extrema malorum mors: sed hoc genus mortis multo tristius est ipsa morte. Coniungite uota uestra cum nostris. Bene & feliciter uale. Die quo Lazarus in uitam reuocatus est, ut nunc Paschatis tempora numeremus 1547. Serueste.

Optimo uiro Georgio Spalatino, amico plurimũ colẽdo, Philippus Melanchthon S. D.

Scis hæc tempora, Spalatine optime, in primis ferrea esse pauperibus scholasticis, quos oportebat foueri à Principibus & à Rebus publicis. Sed cum à potentioribus negligantur, nos, sicubi possumus, eos iuuenus. Hic Coburgensis adolescens N. N. bono ingenio præditus est, & in Academia quadriennum iam uersatus, ac in literis bene promouit. Audivi nescio à quibus, in uicinia uestra desiderari alicubi scholarum moderatores, aut hypodidascaulos. Si alicubi potest ei nidus inueniri, rogo ut eum adiuues. Bene uale, 3 Decembris, Anno 43.

11 5 D. Geor-